

DISSERTATIONEM ACADEMICAM

DE

CALORE PLANTARUM  
PROPRIO,

VENIA AMPL. FAC. PHIL. AB.

PUBLICE PROPONUNT

*JOH. FREDR. WALLENIUS,*

PHIL. ET MED. DOCTOR, ASSESSOR R. COLL. MED. HON. FAC. MED.

ADJ. ORD. ET DEMONSTRATOR BOTANICES, REGG. SOCIETATIS.

PATRIOT. HOLM. ET OEGON. FENN. MEMBRUM,  
HUIUSQUE SECRETARIUS,

ET

RESPONDENS

*GOTTLIEB CHRISTOPH. ENCKELL,*

SATACUNDENSIS.

In Auditorio Superiori die X. Junii MDCCCI,

Horis ante meridiem solitis.

---

*Omne quod vivit, sive animal sive terra editum, id vivit propter  
inclusum in eo calorem.*

CICERO.

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.*

SUMMÆ  
IN SACR. REG. MAJESTATEM  
FIDEI VIRO,  
EX IMPERII SVEOGOTHICI PROCRIBUS UNI,  
ACADEMIÆ ABOËNSIS CANCELLARIO,  
SUPREMO AD AULAM REGINÆ VIDUÆ MARESCHALLO,  
REGIÆ ANTEHAC EDUCATIONIS GUBERNATORI.  
VICARIO,  
REGIONUM ORDINUM EQUITI AC COMMENDATORI,  
ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
COMITI AC DOMINO,  
DOMINO  
CAROLO ADAMO.  
WACHTMESTER,  
MÆCENATI ET PROMOTORI SUMMO,  
SACRUM VOLUIT, DEBUIT

AUCTOR.



Ολως δὲ πολύχρευ τὸ τῶν φυτῶν καὶ ποικίλου, καὶ χαλεπὸν ἐπεῖν καθόλε.

THEOPHRASTUS.

---

PRÆFATIO.

Quo penitus, die diem docente, in machinæ vegetabilis fabricam legesque rimandas penetrare datum fuit Naturæ scrutatoribus, eo majorem plantas inter & Animalia analogiam non potuerunt non observare. Organice conformata e semine nascuntur ambo, promotis per vasa *a*) humoribus vivunt, crescent servata forma speciei propria, alimentis in se receptis & assimilatis nutruntur, succos inde præparant & secernunt heterogeneos sed in diversis individuis sibi similes, propagantur præcipue per sexum conjunctionem, vigent, reficiuntur somno, ægrotant, senescunt, moriuntur. Neque irritabilitatis *b*) & instinctuum expertia esse,

A

do-

---

*a)* Vasa quidem plantis, auctoritate in primis oculatissimi autoptæ HEDWIG, adhuc tribuimus, quamvis & his & insectis deneget CUVIER, sibi saltem non viva; Mémoires de la Société d' Hist. nat. de Paris an 7, & Germanice in REILS Archiv. für die Physiol. 5 B. I H. p. m. 114 sq. Refragatus est etiam Cl. JAMPERT, Specim. physiol. plantarum contra vasorum in plantis probabilitatem, Halle 1755.

*b)* Hanc frustra negasse Cel. WRISEBERG, contendere non veritum (in

docuit experientia. Et hanc quidem corporum organicorum similitudinem multum creasle difficultatis in ponendis inter naturæ regna limitibus, non mirabitur qui noverit a Summo rerum artifice ita disposita esse omnia, ut lento nostram vel scientiam vel oculorum aciem fugiente transitu, auctis sensim affi-

nota III ad §. 400 Prim. lin. Physiolog. HALLERI Götting. 1780) partium constituentium interiorem contremiscentiam in omni vegetabili deesse, probat inter alia, Hedysari gyranter exemplum, in quo motum tremulum foliorum sœpius observavit HUFELAND (Gemeinnützige Auffsätze I B. p. 171 sqq. 174. 187), qui proinde nondubitavit fibras irritabiles motrices (h. e. muscularibus analogas) etiam plantis tribuere, consentientes sibi habens Cel. RAFN (Växt-Physiologie Ups. 1799 p. 58. 116.), GIRTANNER (Abh. über die Irritabilität als Lebensprincip in der organischen Natur, apud GREU, Journal der Physik B. 3.) & v. HUMBOLDT (Aphorismen aus den chemischen Physiologie der Pflanzen Leipz. 1794 p. 41). Neque abnuit Ill. v. HALLER (l. c. §. 402) ab irritabilitate (myotilitatem novo nomine appellat CHAUSSIER) in plantis agnoscenda. Ulterius, & justo, ut videtur, longius progressi recentissimorum nonnulli (PERCIVAL, Betrachtungen über das Wahrnehmungsvermögen der Pflanzen, in Auswahl der nützlichsten und unterhaltendsten Auffsätze für Deutsche aus den neuesten Britischen Magazinen 4 B. p. 163-179. — MEDICUS, de propensione plantarum ad copulam in Hist. & Comment. Acad. Elect. Palatinæ Vol. III. Physico Manh. 1775. recens. in Comment. de rebus in Scientia naturali & Medicina gestis Vol. XXII. P. I. p. m. 12. — DE CHANVALLON, Observations physiques sur l'agriculture, les plantes, les minéraux & les végétaux 1765. — DE SAUSSURE, über einige neue Tremellen-arten mit eigenthümlicher Bewegung apud HUFEL. l. c. p. m. 204. — DARWIN, Zoonomia or the laws of organic life Lond. 1794. Germanice versa a BRANDIS 1795-1799. — BRERA, Progr. de vitæ vegetabilis ac animalis analogia, Ticiini 1796) animam assumserunt vegetabilem, a materia diversam, sui & mutationum externarum conscientiam, percipientem, sentientem, doloris & voluptatis capacem, spontaneosque motus carentem; in eo reprehendendi, quod analogiae, ultra quam par est, indulserint, facili nimis inductione a particulis ad generalia præcipitanter argumentati.

affinitatibus, juncta sint dissimillima, & que sed alio modo perfecta, pluriorumque in ornatisima & maxima naturae catena annulorum cognitionem serae refervatam esse posteritati.

Viventi omni, ut incolumne maneat, suæque pars sit destinationi implendæ, pluribus opus est vitæ adminiculis, & in his nominatim certa caloris temperie. Quam quidem animalibus ita esse datam, ut partim ex proprio interiori penu, partim ex ambiente atmosphæra, quantum suæ conveniat necessitat, quodque hauriat, nemo fere dubitavit *a)*. Sed in plan-

A 2 tis,

*a)* Pervulgata quidem est distinctio inter animalia calidi & frigidæ sanguinis, non tamen nisi respective intelligenda. Præterea etiam illis in animalibus (Amphibiis, Pisibus, Insectis, Vermibus), quibus vix aliam quam ambientis mediis inesse putarunt caloris mensuram (v. LINNÆI passim, MATHERR Praelect. in BOERH. Inst. T. I. p. 329. 372. GEHLERS Physikalisches Wörterbuch 1 B. p. 152 & 4 B. p. 583 sq. &c.), proprium confici calorem, experimentis recentioribus patuit. Ut enim de Apibus nil dicam, quas exceptionem a regula facere multi jam pridem agnoverunt (GEHLER 4 B. p. 584. Cfr. Koch Biskötsel p. 25. GULLANDER Svar om Biskötsel p. 13. in primis autem REAUMUR, Mém. pour servir à l'hist. des Insectes T. V. p. 671, qui tantum in hisce animalculis generari caloris asseverat, quantum ovis gallinaceis excludendis sufficiat, MARTINE, Essays medical and philosophical p. 331, qui calorem examinis a-pum invenit æqualem 97° Th. Fahrenheit. (36 $\frac{1}{2}$  Th. Sv.) & BJERKANDER, Vet. Acad. nya Handl. T. XIII. p. 26. calorem eorundem æstivum gradibus 31 æquiparans), aut de Formicis, quarum aciculum in acervo sensim avolans majorem esse hujus, quam ambientis aëris temperaturam, evidenter probat, Cyprino quoque Carpioni, Viperis, Ranisque suum esse calorem proprium, quamvis magis variabilem, elegantibus exemplis demonstravit Dn. HUNTER (Experiments on animals and vegetables with respect to the power of producing heat in Philosophical Transactions Vol. LXV. Part. 2. p. 447 sqq. Vol. LXVIII. P. I. p. m. 25. 27). Sic Phalæna Geombrumata L. observante BJERKANDER (Götheborgs Hvad nytt? 1781 N:o 105), frigus graduum Therm. Sv. 13 non moleste sustinuit.

tis, utrum necesarius ille & cuique attemperatus calor a ter-  
ræ penetralibus, an a circumfluente aëris tempore, vel a pro-  
pria quadam vi productrice oriatur, minus inter eruditos con-  
venit. Quorum sententias in sequentibus explicaturi, nostram  
que modeste significaturi opinionem, speramus fore, ut cōna-  
tus nostros æqui bonique consulant C. L. nec lapsus, si quos  
offenderint, in ardua materie faciles, acriter nimis & fevere-  
taxent.

## § 1.

Ante vero quam ad argumentum accēdamus proprius con-  
siderandum, pauca de caloris, in primis animalis, natura p̄ræ-  
fari

---

Cumque, ut pluribus probatum ivit HUMPHRY DAVY (in Contributions to physical and medical knowledge, collected by Th. BEDDOES Lond. 1799), sanguis in branchiis piscium oxygenetur (Cfr. CARRADORI in SCHERERS Journal der Chemie 2 B. 12 H. p. 669 sqq.), manifesta in Echino adhinc respirationis organa (CUVIER Leçons d'Anatomie comparée Vol. I. Paris an 8), Gryllusque vi-  
ridissimus, Limax flavus & Helix pomatia, ex observatis Dni VAUQUELIN (Annales de Chimie Mars 1792 p. 273 - 291) aërem at-  
mosphæricum decomponendo, pro inspirato gase oxygenio acidum  
carbonicum reddant, qua quidem operatione calorem animalem e-  
volvi volunt Chemici & Physiologi recentiores; facile intelligitur,  
animalia sic dicta imperfectiora pro frigidis temere habenda non es-  
se. Addimus Ill. BUFFON calorem Ranarum gradibus Thermometri  
Reaumuriani 15 l. 16 (Therm. Svec. 18<sup>3</sup> l. 20), Pisciumque & In-  
sectorum 11 l. 12 (Th. Sv. 13<sup>3</sup> l. 15) æqualem invenisse (Supplément à l'Hist. naturelle T. I. p. 118 sqq.), & in experimentis Cl.  
MARTINE, cum Thermometro Fahrenheitiano captis, Pisces, Ostre-  
as, Mytilos medium, in quo vivunt, uno, Helices duobus, Testu-  
dinesque terrestres & Ranas quinque gradibus superasse (cfr. BU-  
FFON l. c. & CARRADORI l. c. p. 676 sqq.). Imo Hirudinés, obser-  
vante DUBUC, in aqua gelata vitam servarunt. Neque hæc in trans-  
curso tetigisse pigebit analogiam & gradationem successivam viven-  
tium omnium considerantem.

fari lubet, quo sit melius intelligantur frequentia. Sed ex amplissima materie, cui nova quotidie fere adduntur inventa, non nisi summa delibare capita per imperatam brevitatem licet.

In duas potissimum partes abierunt caloris indolem explicaturi Philosophi, aliis illum pro affectione corporum, aliis pro materia propria habentibus. Et ab horum quidem sententia, veteribus jam, & in his ARISTOTELI probata, discesserunt cum Scholasticis recentiorum non pauci, calorem omnem in motu partium minimarum ponentes, vel cum vi re-pulsionis confundentes <sup>a)</sup>). Sed gravissima, quibus haec hypothesis premitur, dubia, parum nostris temporibus reliquum illi fecerunt ponderis. Plurimorum igitur suffragia tulit altera sententia, in quam firmandam & illustrandam acerrimo studio incubuerunt nostri in primis ævi homines. Hanc vero caloris materiam, sive ut recenti appellatione vocatur, Caloricum, fluidissimam esse, tenuissimam, maxime elasticam, vix gravem <sup>b)</sup>, & per omnia vel densissima corpora æquabiliter se dispergere conantem, atque a materia luminis diversam, plenique hodie agnoscunt. Sed duplice respectu considerandum hocce Caloricum, aut liberum gradus temperaturæ corporum determinat, caloremque efficit sensibilem s. intensivum, qui variis modis vel augeri vel minui potest; aut ligatum s. latens,

A 3

nec

<sup>a)</sup> HUMPHRY DAVY l. c.

<sup>b)</sup> Hallucinatos fuisse, qui ponderis augmentum in corporibus calefactis a se observatum perhibent, monuit MUSSCHENBROECK, & affatim probant accuratissima ab Ill. RÜMFORD capta experimenta (Philosophical Transactions for the year 1799). Neque tamen negative grave h. e. absolute leve, & a centro terræ sursum tendens esse caloricum, Cl. GREN concedimus, qui quamvis postea paullo alter sentierit, errore tamen non vacat. Credendum potius calorico quoque, licet humana industria non ponderabili, suam esse tantillam gravitatem.

5 6 7

nec sensibus nec Thermometro proditur, sed sublato æquilibrio, intimam corporum compagem intrat, majoremque vel minorem, pro majori vel minori copia, illis conciliat fluiditatem. Sic aucta Calorici quantitate solida liquantur, & liquata abeunt in vapores elasticos, qui anisla calorici parte, fluidam indolem recuperant, vel in fluida permanenter elastica (Gas, hodie appellant), quæ ne maximo quidem frigore in pristinam formam reduci se patiuntur, sed caloricum acceptum, in quo quasi soluta manent, pertinaciter retinent.

Diversam vero inesse aliis atque aliis corporibus caloris capacitem, qua ut ad certum quandam gradum elevetur Thermometrum, majorem alia, alia minorem requirant & sibi jungant calorici quantitatem, non potuit oculatissimorum viorum aciem effugere. Et hac quidem observatione pulcherrima ntititur Calorici specifici theoria, quam ulterius expendere non permittit institutum. Sufficiat monuisse, aucta hac capacitate oriri frigus, minuta vero eadem calorem, ex calorico vel ligato vel libero facto. Addere oportet, ab oxygenio increscere capacitem caloris, aliaque corpora aliis facilius a calorico penetrari, & majori proinde minorive caloricum alluciendi & promovendi facultate esse conspicua.

Calorem vero animalem ponunt Physiologi in certa quadam, nec facile variabili calorici quantitate, calore atmosphæræ ut plurimum superiore, mutationum quæ in hac fiunt parum certe participi, nec inde mechanice advenienti, sed propria animalis vi, processus vitalis ope, genita. Ex æquabili autem hujus caloris lege explicant, qui fiat, ut & intensiori frigori, vita salva, resistere queant animalia perfectiora, & calore externo solito majore ultra modum non incandescent *a).*

Cu.

---

*a)* Sic calor naturalis hominis, qui calori graduum Therm. Fahrenh.

Cujus phænomeni causam inde repetunt, quod pro sua necessitate animal, sæviente bruma, plus gignat calorici, ejusque vicissim partem, urente æstu, per transpirationis insensibiles vapores, aut sudoris guttas aquæas, amittat. Sed de Caloribus hujusce animalis fontibus plures fuerunt eruditorum sententiae, quarum jam obsoletas brevitatis causa merito omitimus <sup>a)</sup>. Nos autem hodiernis Chemicis (Neologos contumeliose vocat DE LUC) potissimum ad stipulati, inquinatum illum calorem ab oxygenio aëris humoribus admixto, & caloricum sibi antea nexum liberum relinquente, derivamus. Et hanc quidem sanguinis humorumque oxydationem, pro diversa animalium fabrica, diversis in locis fieri, Anatome declarat. Sic

Mam-

99<sup>1</sup> (Therm. Svec. gr.  $37\frac{1}{3}\frac{3}{8}$ ) æqualis æstimator (BRISSON apud GEHLER I. c. & 4 B. p. 342. 344; calorem medium ventriculi ad  $36\frac{1}{8}$ , pectoris ad  $34\frac{7}{9}$ , manus ad  $31\frac{10}{18}\frac{3}{8}$ , pedis ad  $30\frac{3}{7}\frac{4}{5}$ , urinæ ad 36 fere restringunt experimenta ANT. MARTIN in Vet. Acad. Handl. 1764 p. 290 sqq.), in maxima caloris & frigoris atmosphærici differentia parum variat. Non minui in frigore punctum congelationis hydrargyri excedente nisi ad 4 circiter Therm. Sv. gradus, observatum est (GEHLER 4 B. p. 585), nec augeri multum vel in febrili æstu (ad 4 tantum aut 5 ejusdem Thermometri gradus, GEORG. MARTINE de alimentis similibus & animalium calore Libri II. Lond. 1740), vel in balneo (ad 3 fere gradus, ANT. MARTIN in V. A. H. 1765 p. 72. unumve aut duos tantum in concavi, cuius temperies a calore ebullientis aquæ vix distabat, BLAGDEN in Philos. Transact. Vol. LXV P. I. p. 111 sqq. cfr. TILLETT in Mémoires de l'Acad. Roy. des Sciences Année 1764, l'édition d'Amsterdam. p. m. 325 - 328). — Majorem vero, eamque insignem mutationem patitur caloris intestini mensura in animalibus, quæ per hyemem sopore obruta jacent, ut exemplo Muris Criceti, in quo a 140 ad 15 decrescit numerus pulsuum, quiescente fere vitali processu, ostendit MADAI apud REIL Arch. für die Physiol. I B. 3 Heft p. 110 sqq.

<sup>a)</sup> Adeat, qui has nosse discipit, Cl. GEHLER 4 B. p. 586 sqq. & 5 B. p. 965 sqq.

Mammalibus, Avibus, Amphibiis pulmones, Piscibus bran-  
chias, Insectis stigmata & Vermibus horum quoddam analogo-  
gon *a)* concescit Natura. Crebrius vero vel rarius, uberior  
vel parcior, prout exigit partim horum organorum confor-  
matio, partim propria animalis necesitas, hauritur aër at-  
mosphæricus, unde patet varium in variis animalibus, quam-  
vis cuique sufficientem, oriri calorem proprium. Oxyge-  
nii autem in aëre latentis pars ipsum sanguinem subit, a-  
lia vero pars carbonio & hydrogenio inde evolutis jun-  
cta, acidum carbonicum & aquam producit, phænomenis  
combustioni corporum inflammabilium similibus. Quid? quod  
non desint, qui cum Cl. VEIT *b)* ipsam ciborum digestionem  
combustionis instar habent, qua inhærens aëri & aquæ oxy-  
genium in canalem intestinalem delatum, & carbonio ibi re-  
periundo junctum, calorici partem amittat, eamque corpori  
tradat. Neque tamen in tali aëris mutatione unicum quæren-  
dum esse caloris animalis fontem, urgent alii, nominatim  
**GREN** *c)* & **RIGBY** *d)*, potiorem ejus partem cibis asumptis,  
& inde allato corpori nutrimento deberi, fidenter asserentes.  
In cujus opinionis fidem, non tantum ad calorem ventriculi  
præ aliis partibus insignem, & caloris a pastu incrementum  
provocant, verum etiam calorici per fluidorum in solida trans-  
itum liberati, vel in solutionibus, mixtionibus, fermentatio-  
ni-

*a)* Aperturam in Limace lateralem, intra caput & clypeum sitam, al-  
ternisque vicibus ampliatam & angustatam, respirationi inservire  
conjicit VAUQUELIN l. c. p. 284.

*b)* Disf. inaug. de organorum corporis humani energia & sympathia,  
Halæ 1797. cfr. REIL 2 B. 3 H. p. m. 511.

*c)* Journal der Physik 1790, 2 Heft p. 196. & System. Handb. der  
Chemie 2 B. 1794. §. 1674.

*d)* Essay on the theory of the production of the animal heat, Lond.  
1785.

zibus, putrefactionibus seminumque germinationibus extricati, exemplo nituntur. Et haec quidem omnia, quibus suum quoque adjecere calculum Cl. DARWIN *a*) & DOUTREPONT *b*), adeo sunt ad fidem prona, ut dubio locum vix relinquant.

### §. 2.

His expeditis ad calorem vegetabilium proprium considerandum devolvimus, cuius primam ab ARISTOTELE factam invenimus mentionem. Inditum esse plantis *c*), utpote vita praeditis, atque alimenti & ambientis aeris ope conservari *d*), pasim innuit. In eandem sententiam conspirant Libri περὶ φυτῶν, quos tamen spurios esse monent Critici *e*). Sed plantas omnes suum habere calorem naturalem, eoque absunto ærotare, senescere & interire, non uno loco *f*) affirmat eo-

B

run-

*a)* Libr. cit. ubi quamvis non neget oxygenio sanguini admixto, calorem oriri, idem tamen in secretionibus quoque fieri putat, perpetuamque novorum fluidorum genesin propriam esse præcipuamque caloris animalis causam defendit, idemque exemplo caloris localis in rubore pudoris, nec non in inflammationibus topicis orti illustrat.

*b)* Disf. de perpetua materie organico-animali vicissitudine, Halæ 1798 §. 29. recusa germanice in REILS Archiv 4 B. 3 H. p. 460 sqq.

*c)* Προβλημάτων Sect. XX n. 8.

*d)* Libri περὶ νεότητος καὶ γῆρας, περὶ ζωῆς καὶ θανάτου cap. 6.

*e)* Cfr. præter CONRINGIUM & FABRICIUM, GUIL. DU-VAL, Opp. ARISTOTELIS T. II. Lutet. Paris. 1629 p. 124, & v. HALLER Bibl. Botan. T. I. p. 29. II. p. 620. Arabi cuidam anonymo deberi putat DU-VAL, Graeco vero MINUTIUS, & nominatum PLANUDI, XIV Sæculi scriptori, J. C. SCALIGER.

*f)* Lib. I. cap. 2, Lib. II. cap. 2.

mundem. Auctor. Eandemque opinionem discipulo ARISTOTELIS, THEOPHRASTO a) pariter arrisiste invenies.

Sequitur PLINIUS, qui calorem plantis a terra communicari, sensisse videtur. Nives enim diutinas eam praestare arboribus frugibusque utilitatem, ut animam terrae evanescensem exhalatione includant & comprimant, vitesque non nisi soli vitio a frigore laedi aperte declaravit b).

Proximum hisce, quamvis longa temporum intercapedine remotum, nominamus FRANCISCUM BAONEM A VERULAMIO, acutissimum sanioris Philosophiae vindicem. Qui quidem, quamvis nullum in plantis earumve lacrymis aut medullis (uti nec in insectis) ad tactum percipi calorem c) asserat, viderit tamen eas aliquid habere in se occulti caloris concedit, & magnam esse graduum caloris in viventibus latitudinem, ut infimus vix ad tactum deprehendatur, calidumque, quatenus ad sensum humanum referatur, rem esse variam & respectivam d).

Ana-

a) De Hist. plantarum Lib. I. c. 3. Απει γούρη Φυτῶν, inquit, ξει τινὰ υγρότητα καὶ θερμότητα σύμφυτου, ὥσπερ καὶ ζώον.

b) Nat. Hist. L. XVII capp. 2 & 37.

c) Contrariam experientiam reclamat BUFFON, de quo in frequentibus. Sed hoc loco reticendum non est singulare & forte unicum Ari masculati exemplum, cuius spadix, observantibus LA MARK (Floren Francoise 1780) & SENEBIER (USTERE neue Annalen der Botanik 9. St. p. 119), sub explicatio[n]is spatia primordia, per 4, 5*ve* horas sensim incalescit ad duplam atmosphærae temperaturam, ut uires fere sentiantur, & imminuto iterum, per æquale temporis spatium, calore, ad ambientis aëris teporem paullatim reddit. Meneritur utique mirum phænomenon, ut in illud diligenter inquiratur.

d) Novum Organum Scientiarum Lugd. B. 1645, Lib. II. Aph. 12, 13. p. 186. sq. 192. sqq. 207.

Anatomē plantarū eodem fere ambo tempore felici au-  
tu aggressū MALPIGHİ & GREW, argumentum nostrum vix te-  
tigerunt, nec nisi a Sole & aëre repetere videntur caloris or-  
tum; sed coævus fere KENELMUS DIGBY *a)* innati caloris fa-  
pius meminit, qui duriori & lapidosaē parti circa medium fru-  
ctus incarceratus, in radicem postea totamque plantam abun-  
danter transeat.

Plures, ut in præfamine monuimus, a terræ gremio ad-  
venire voluerunt calorem vegetabilibus necessarium, in illam  
eo facilius adducti opinionem, quo certius de igne quodam  
telluris centrali esent peruersi. Antiquam hypothesin recen-  
tiorum quoque multis arrilisse videoas, inter quos eminent  
MAIRAN & BUFFON, Galli, quorum ille assumto calore Solis  
relativi == 1, calorem globi ad 29,16 computavit *b)*, propor-  
tione, ut huic vitum fuit *c)*, nimis parva. Et quamvis mul-  
tis hæc omnia pateant dubiis, jureque monuerint HUNTER *d)*  
& ÆPINUS *e)*, interiora telluris a Solis radiis, quibus inde a  
creationis momento fuerunt exposita, certum quendam, nec  
atmolphærae vicibus obnoxiam probabiliter accepisse caloris  
gradum, fatendum tamen est, hunc ipsum non minimam ha-  
bere in plantas vim, eoque majorem, quo magis aëris tem-  
periem superet, & quo fortius terra a solari æltu soleat incar-  
cerari.

B 2

lesce-

*a)* Disf. de plantarum vegetatione Amstel. 1663. p. m. 23 & 45.

*b)* Mém. de l'Acad. des Sciences An. 1719 & 1765.

*c)* L. c. p. m. 45 & sqq. Eundem telluris calorem causam esse prin-  
cipalem situs, quem tenent plantarum trunci, perpendicularis, idem  
urget p. 48.

*d)* Philos. Transact. Vol. LXXVIII. P. I. p. m. 62 sqq.

*e)* In Cogitationibus de distributione caloris per tellurem; cfr. BERG-  
MANS Phys. Verldsbeskr. Sednare Bandet p. 149 sq.

lescere *a*), quoque facilius hæc calorem & suscipiat & dimittat. Unde quoque plurimi, e quibus Cel. WALLERIUM *b*), nostratem, in primis nominamus, duplicum stirpibus accedere calorem volunt, alterum aëreum, alterum a terra ascendentem;

Neque tamen terram pro unico caloris vegetabilis fonte habuit laudatus BUFFON, sed ex motu succi plus minus accelerato augeri eundem contendit: observando, contra Cl. MARTINE *c*), qui nullum agnoscit in plantis calorem ambiente medio superiore, excilarum arborum internam subtantiam manifeste per plura adhuc horæ minuta notabiliter calidam, nec temere credendum esse Naturam, quæ animalibus omnibus gradum caloris inorganicis corporibus majorem impertiit, denegasse eundem plantis, vitæ tamen non expertibus *d*).

Parum differre, qua temperaturam, plantas ab ambiente aëre, non negat acutissimus HALES *e*), ita tamen, ut illas nonnihil faciat calidores. Neque omnem a terra & sole accedere calorem putat, sed inesse præterea aliud peculiare, e moleculis aëris succum vegetabilem impellentibus, illumque pro diversa actione & reactione varie mutantibus oriundum.

§. 3.

*a)* Cfr. BJERKANDER in Vet. Acad. N. Handl. T. XII. p. m. 292 sqq. Cujus observatis calorem tertæ vere crescere, autumno infringi, evidenter patet.

*b)* Agricult. Fundam. Chem. C. 4. §. 2.

*c)* Essai sur les Thermomètres art. 37.

*d)* BUFFON l. c. p. 114 sqq. Calorem vero vegetabilem hyemali tantum tempore superare aëris temperaturam, aestate æqualem esse & saepè minorem, monet idem.

*e)* Statick der Gewächse Halle 1748. p. 5. 179.

Sed defunctione magis, nec data opera, in argumento nostra tractationis versati plerumque sunt, quos hactenus laudavimus, calorem plantarum proprium assumisse potius quam demonstrasse contenti. Addi his possunt WRISBERG *a*), DE LA METHERIE *b*), BLAGDEN *c*), BRERA *d*) & alii. At nostra in primis ætate majori attentione digna judicata materies, plurimorum in se convertit industram, ex instituto eandem exponentium *e*). Quorum quidem primus nobis nominandus est Cl. J. HUNTER *f*), variis in hanc rem captis experimentis clausus. Observavit enim primo, plantas diutius aqua resistere frigori; observavit in Abiete trienni aquæ immersa, & frigori graduum Therm. Svec. fere 9 exposita, ultimi tantum anni furculum periisse; tenellasque Avenæ & Fabæ plantas pa-

B 3 riter

*a)* In notis ad Prim. lin. Physiol. v. HALL. §. 136. n. 58.

*b)* Essai analytique sur l'air 1789. Duplicem facit calorem, externum aliud, aliud internum, hujusque in succorum vegetabilium partim fermentatione, partim motu perpetuo, nec non in admisso gase oxygenio querit natales.

*c)* L. cit. p. 122, ubi probaturus facultatem plantis inesse caloris generandi, exemplo utitur nivis supra gramen citius quam in via aerena liquatæ, & herbarum frigori aquæ congelanti facile renuentium.

*d)* I. c.

*e)* In his citari videoas (Intell. Bl. der Allg. Litt. Zeit. 1807 N:o 16) L. v. CRELL Versuche über das Vermögen der Pflanzen und Thiere Wärme zu erregen und zu verrichten, aus dem Engl. 1778, quod quidem opusculum, nobis non vistum, Anonymo cuidam Anglo esse tribendum, & a CRELLIO in Germanicam linguam conversum potius suspiceris?

*f)* Philosophical Transactions Vol. LXV. P. II. p. m. 540 & sqq. 11/450  
Vol. LXVIII. P. I. p. 38 sqq.

riter tractatas, a frigore gradus 5 superante nihil passas fuissent damni, sed terrae immislas late denuo crevisse. Deinde succis Brassicæ & Spinaciæ ad grad. Th. Svec. —  $1\frac{2}{3}$  glaciatis, ramulum abietis & fabæ folium, recentia ambo, imposuit, vidiisque eosdem, quam late hisce fuerunt operi, post breve tempus fuisse regelatos, non exstincta tamen sic ramuli foliive efficacia, quæ in aliam translata plaga, simile ibi monstrarunt phænomenon; fabæ item folium glacie duratum rursumque exfolatum, folio ejusdem herbæ vegeto & sano longe citius gelu coetripi. Conclūlit inde requiri, ut destruatur ante vis vegetans, quam frigori succumbat planta, & inesse huic facultatem gignendi caloris, non quidem æqualis semper, sed atmosphæræ vicibus plus minus obnoxii, neque tamen nullis omnino adstricti limitibus; hujus vero caloris mensuram majorem aliis, aliis minorem contigisse; patientiores frigoris h. e. calidiores esse adultas tenellis, & quid m radices præ aliis plantæ partibus patientissimas; atque calore maxime immuno suspensi per hyemem functiones plantarum vitales.

Sed in hisce non subsistit laudati viri industria, cui numerosa insuper debemus tentamina Thermometrica, quibus evictum dedit vernali tempore paullo mutabiliorem esse arborum temperaturam, ut calorem atmophæricum mox vincat, mox æquet, mox non attingat, exigua tamen differentia, autumno vero & hyeme constanter sere manere superiore, dimidiis faltem & quod excurrit ad Therm. Svec. gradus prærogativa, succumque qui e Juglande exemptus ad punctum congelationis aquæ glaciatur, intia vase latenter fluiditatem ferravisse, quamvis & ipse & tota arbor octo & ultra gradibus fuerint frigidiores. Quod aliter omnino se habere in necata gelu arbore idem monuit, observans præterea majorem fuisse hyberno quam ækivo tempore succorum in Juglande affluentiam.

Ei-

Eidem viæ insitens Cl. SCHÖPF a) plura in America septentrionali instituit experimenta, in foramina arborum terebræ ope facta immittendo Thermometrum, eventu quidem non semper eodem, sed pro crasitudine arboris aliisque momentis vario. Nec multum vel hisce, vel observationibus, quibus foliorum & ambientis aëris temperaturas comparavit, ipse tribus se fertur ponderis, non ignorans vi vitali, cujas præcipua in libro sedes est, fere orbam esse ligneam plantæ substantiam, minorique gaudere vi ducendi calorici.

Sed hoc loco minime reticendi sunt Rever. BJERKANDER, nostratis, similes labores b), quibus patuit calorem arborum constantiorem esse aëreo, & in variis earundem speciebus diverse temperatum, ea fere lege, ut æstate major, sed atmosphärico tamen inferior, hyeme minor sed ambiente superior communiter inveniatur, quamvis non deesse exempla fateatur majoris in arbore quam in circumfusa aura ipso mense Junio caloris.

#### §. 4.

Sequitur, ut nonnulla ad præsentem materiem pertinencia momenta, quorum pasim meminerunt Auctores, breviter expendamus, & ad genelin atque fontes, unde oriatur calor ille proprius plantarum, respiciamus curatius. Quia in re notanda primum est communis illa stirpium omnium, saltem ultra annum viventium, facultas frequentes in natali climate caloris & frigoris vicisitudines tolerandi. Et frigoris quidem:

a) Der Naturforscher St. 23: p. 1. Librum, quem ipsi non vidimus, citant HUMBOLDT Aphorismen p. 103, & RAFN l. c. p. 198. Cfr. WILLDENOW Grundriss der Kräuterkunde Berl. 1798. §. 240.

b) Vet. Acad. N. Handl. T. XIII, p. 25, & 69-76.

dem ultra modum non intensi vim non difficulter sustinere zonarum frigidarum plantas, domestica edocemur experientia. Sed neque inimiciorem aliis esse majorem caloris gradum, paucis age exemplis probemus.

Non vana forte videretur suspicio, plantas quæ frigidorem nostram patriam incolunt, urentis caniculae fore impatiētiores. Sed XL fere harum species recensuit laudatus saepius BJEKANDER *a*), in calore 30 circiter gradum etiam diutius durante lète vigentes. In Hungaria vero *Nymphaea Lotus* gratam sibi elegit sedem in Pecze calidi fontis rivo, cuius temperatura gradibus 24-35 continetur *b*). At leviora hæc sunt si cum sequentibus comparentur. Ad thermas Baikalenses Sibiriæ, calore gradum 75 insignes, circa medium Octobris, gelu jam constricta regione reliqua, summo adhuc ornata superbiebat Flora *c*). In ripa rivi insulæ Luçon radices Viticis agnī casti duarumque Aspalathi specierum aqua graduum fere 99 perpetuo alluit, & Thymus ad fontem Islandiæ Geiser crescens bulliente semper latice rigatur, quemadmodum neque solum insulæ Tannæ, in vicinia montis ignivomi ad 99 & ultra gradum calens respuisse visæ sunt plantæ non paucæ, & nominatim *Ficus* quædam species *d*).

Quæ præcedenti §. breviter attigimus tentamina Thermometrica, non potuerunt facile in plantis tenuioris compaginis institui. Sed in succulentis nonnullis, *Mesembryanthemo*, *Aloë*, *Agave* cæt. Thermometrum carnosò foliorum parenchymati

*a)* Vet. Acad. Handl. 1778 p. 62 sq.

*b)* WALDSTEIN & KITAIBEL Plantæ rariores Hungariæ, Decas 2.

*c)* LAXMANN Sibirische Briefe.

*d)* Testibus SONNERAT, v. TROIL, RAFN & FORSTER.